



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini  
Carmina Selecta**

**Santeul, Jean de**

**[S.l.], 1679**

Illustrissimo Viro D. Achilli Harlaeo In Supremo Galliarum Senatu  
Procuratori Regio. Carmen Panegyricum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13401**



ILLUSTRISSIMO VIRO D.  
ACHILLI  
HARLÆO  
IN SUPREMO  
GALLIARUM SENATU  
PROCURATORI REGIO.  
CARMEN PANEGYRICUM.

**H**AUD fine consilio, & manifesto numine  
Divûm,  
Publica solliciti dispensant munia Reges,  
Unde salus populorum, & pendent ultima fata.  
Illuc, HARLEADE, & solers prudentia Regis,  
Et tua te virtus, & magna exempla tuorum  
Evexere: omnis studiis te ardentibus Aula,  
Te populi, te sancta Themis, te Gallia dudum,  
A



Munus ad hoc regale, Magistratumque petebant.

Quin pater ipse suos ultro deponit honores,  
Et proprio assurgens gaudet decedere nato.

Dicite vos Proceres, Franci capita alta Senatûs;  
Tuque Themis, quibus ille modis, quo tramite surgat  
Ad summos apices, famamque extendat avorum?  
Nam neque purpurei trabeato ex ordine Patres  
Hoc potuere, licet suprema negotia tractent,  
Omnes consiliis, clari virtutibus omnes.

Vidi ego, per populos dum scripta impunè vagantur,  
Dedecus ætatis nostræ, opprobriumque futuræ,  
Concilio Patrum in magno decreta ferentem,  
Vidi & Sorbonici firmantem oracula cœtûs;  
Venerat huc Regni pro libertate tuendâ  
Orator; titulos lacerataque nomina VERNÆ  
Vidi, & proscriptos Româ indignante libellos.

Ipse etiam nuper Patribus de more vocatis,  
Multa super legum imperio pandebat. Adeste  
Quotquot Roma tulit, quotquot stupuistis Athenæ,  
Magni Oratores; vestris non laudibus impar,  
Addebat verbis numeros, & pondera rebus.  
Unde olli tanta eloquia, & vis addita linguæ,  
Unde artes, tam vivida mens, animique sagaces?  
Quid referam gravitatem oris, frontisque modestæ



3

Grande supercilium, majestatemque serenam,  
Et castos mores, & opum, fastusque superbi  
Contemptorem animum, & nil tale ferentibus annis  
Pro patria magnos, indefessosque labores?  
An capiunt tantas mortalia pectora dotes!

Hæc mecum, cum sidonio spectabilis ostro  
Ipsa Themis mihi tum dubio stetit obvia, & ultro  
Convenere, quibus custodia credita Regni  
Dique Deæque omnes, necnon & Gallia quondam  
HARLÆIS defensa Heroibus: aurea pallâ  
Splendebat Regina, manuque insignia gestans  
Lilia Francorum & sacrâ diademata fronte,  
Nec vultu Divæ absimilis, me multa docebat  
Durius increpitans; ô rerum ignare mearum  
Hactenus, inquit, an HARLEADUM tot nomina nescis,  
Tot decora, & generis monumenta augusta paterni?  
Debet Avis hanc magnam animam, exemplisq; suorum,  
Debet & ipse sibi HARLÆUS. Nec plura morata,  
Omnes HARLEADAS, BELL'EURÆOSQUE Quirites  
Monstrabat radio, totamque ex ordine gentem;  
Et simul in tabulis simulacra antiqua virorum  
Cernere erat, quantâ se majestate ferebant!  
Hæc dum lustris, agmen partes se scindit in ambas;  
Pars una in trabeis, pars altera fulget in armis:



Et pro laude suâ, aut ramum pacalis olivæ,  
 Aut belli exuvias superato ex hoste gerebant.  
 Tandem sic visa est magnarum conscia laudum  
 Regina interpres numerosam ostendere turbam:  
 Si dubitas, Vates, in quantum nomen iturus  
 HARLEADES, quò sese ingens ea gloria tollat;  
 Hos agnosce viros, hæc pectora nescia frangi,  
 Armatasque in bella manus, pacisque Ministros.  
 Si quando ductandæ acies, si jura tuenda,  
 Gens dedit illa Duces, Proceres dedit illa togatos,  
 Unâ è stirpe omnes, aut firmavêre Senatam  
 Consiliis, aut Imperium victricibus armis.  
 Hinc LODOIX, Franco quamquam unus sufficit orbi,  
 HARLÆO, sibi nil metuens Regalia jura  
 Credidit, atque omnes legum permisit habenas.  
 Noverat ex prisca HARLÆUM annalibus, omnemque  
 Enumerans gentem, è multis suspexerat unum  
 Astrææ primo in folio, dum turbida cœco  
 Urbs fremeret motu, prætextis undique causis  
 Debita Borbonio generi, queis sceptrâ revellant  
 Prædones regnorum avidi; stat pectore firmo  
 HARLÆUS, titulosque & sceptrâ avulsa reposcens,  
 Henricum Regem populo obluctante salutat,  
 Firmat & incertum ventura in sæcula Regnum.



5  
Quid patriæ non cogis amor? non carceris horror,  
Non illum fera vincla, impacatique furores  
Confusæ plebis, ferrique licentia flectunt:  
Et scelus est, gens dira, tuum, tua maxima contra  
HARLEADE virtus; pudet, æternumque pudebit  
Promeritos fasces franco rapuisse Catoni.

Me majora vocant, paucis adverte, docebo  
Hic Burgundiacos tractus, nataliaque arva  
Deserit, & magno Francæ telluris amore,  
Transtulit huc patrios totâ cum gente penates.  
De tantis ducibus quid non sperare licebat?  
Tum Bellona tubâ, Mars Gallicus omnibus armis,  
Et dedit ingentem pennis Victoriâ plausum.  
Nec minùs est lætata Themis, librâque remisâ  
Ad tempus, læto implevit rumore Senatum.

Non semper fera bella juvant; nam proximus ille  
Pacis amans dediscit Avos, Martemque perosus  
Exuit arma, togæque altos affectat honores.  
Sæpe domi strepitu procul, infanoque tumultu,  
Depositoque supercilio cum plebe Senator,  
Et veteres rixas, & bella forensia vulgi  
Composuit, longasque moras, litesque repressit.  
Grande magistratûs, & adhuc memorabile factum,  
Latè per populos, Themidisque per omnia templa,



Nomen & HARLÆI volitabat, & undique laudes,  
 ( Dicitis si qua fides ) tantis rumoribus acti,  
 Illius è tumulo visi prorumpere Manes,  
 Laude suâ Manes etiam post fata superbi.  
 Sed quid ego hunc autê? non lōge agnosce THUANUM;  
 Hic sanxit patrias in publica commoda leges,  
 Densis quæ tenebris, & multa nocte sepultæ  
 Obscuræ semper, nativæ lucis egebant;  
 Tot confusa inter veterum decreta, THUANUS  
 Innumeras leges brevia in compendia misit,  
 Et dedit obscuris lucem, antiquisque vigorem.  
 Tantus erat juris vindex, Themidisque sacerdos!

Salve ô Francigenum scriptor clarissime Regum  
 Docte THUANE, decus quondam & lux maxima sæclî,  
 Tu magnæ Themidis sanctum caput : otia musis  
 Astrææque dabas, docta intervalla laborum.  
 Te res imperii, te mille negotia poscant,  
 Incedis trabeatus, & amplo in munere fidum  
 Te patribus, populisque probas, regnoque ministrum,  
 Si tibi fert animus res scripto exponere gestas,  
 Et Regum annales, numerosa volumina scribis,  
 Jactabunt quæ sera tui per sæcla nepotes.

Hæc memorans dilecta comes, jactabat ACHILLEM,  
 Quem Rex Macloviis olim præfecerat aris.



7  
O superi! quantos pro Relligione labores  
Ille tulit, quantas terrâque marique procellas?  
Monstrabat tabulata super, Phrygiosque tapetas,  
Congeriem immensam spoliorum, aurique talenta,  
Quæ Scythico dederat, non munera parva, tyranno.  
Hîc nudâ sub humo, gladii, clavæque trabales,  
Nodosæque cruces, multoque cruenta cerêbro  
Grandia saxa, necis dira instrumenta, jacebant.  
Auro Thrax inhians jam tum obliviscitur iras,  
Et pretio accepto longâ sub nocte gementes  
Christiadas vinclis, & durâ compede solvit.

Hunc prope frater erat, non jam per bella tremendus,  
Depositâ mitis galeâ, atque immanibus armis,  
Fratris ad exemplum miles se consecrat aris.

Hîc etiam vidi ante alios, magnumque CAMILLUM,  
Quem Rhodanus, quæ lentus Arar, plaudētibus undis,  
Obliti cursus proprios, urnâque relictâ,  
Corpore plus nudi medio, summo æquore cernunt;  
Sic Tyberis fertur quondam exultasse Camillo,  
Quem toties raptis celsa ad capitolia vidit  
Insignem exuviis, victriciaque arma gerentem.

Tu quoque FERDINANDE aderas, te quippe videbam  
Pascens Druydas populos; verùm ecce repentè  
Pontificem mento intonsum & brevior capillo,



Ostendentem utrâque manu haud ingloria scripta :  
 Mirabar docta ora viri, frontemque, oculosque,  
 Egregiasque animi cultu sub simplice dotes.

Ecce sequebatur spectandâ in veste Sacerdos,  
 Ante omnes formâ eximius, mitrâque coruscans;  
 Hic ille est, magno quo Præsule Neustria gaudet,  
 Hujus ad aspectum mutato expalluit ore  
 Gallia; jam liceat, dixit, renovare dolores,  
 Tanto & Pontifici meritas persolvere grates.  
 Pro re pauca loquar; cùm nuper vulnere cœco  
 Reginam abstulerant crudelia numina Parcæ,  
 Nos memores Reginæ: unum selegimus omnes,  
 Qui grandi eloquio ( Regis sic jussa ferebant )  
 Illius & Regale genus, Natamque, Sororemque,  
 Hanc ipsam, & Sponsam Regum, Regumque Parentem  
 Diceret, & laudes dicendo æquaret avitas.  
 Delubro in vasto, quâ Sequana rumpit aquarum  
 Continuos cursus, busti surgebat imago  
 More pyræ ingentis, Francorum hîc stemmata Regum,  
 Liliaque & pallæ, & multo diademata in auro,  
 Effigiem tumuli super, exuviæque jacebant;  
 Exuviæ tristes! solio cùm orator ab alto  
 Immiti fato ereptam & crudelibus umbris,  
 Reginam Austriacam lacrymans ter voce vocavit.



9

Addidit & grandes titulos, & fortia facta:  
Facta! quibus dirum frænavit fœmina Martem.  
Illum Borbonidæ cum lucifono comitatu,  
Pullati stupuère duces, stupuère loquentem  
Pontificum chorus omnis, & omni ex ordine Patres;  
Tanta fuit vis eloquii & miranda potestas!

Sit laus ista togæ, jam me novus abripit ardor,  
Sunt bellatores, mavortia pectora, & ipsi  
HARLEADÆ, memini, his ducibus res bellica quondam  
Credita erat, primi dura in certamina, primi  
Tela per & gladios, inimicaque castra ruebant  
Intrepidi Heroes. Si nunc res posceret, ultro  
Exuerent trabeam, & patriis pendentia tectis  
Arma retractarent non inferiora secuti.

Sed cur ista moror? numeret Burgundia bella,  
Ostendatque duces, quibus illa angustior olim  
Crevit in imperium; memoret quos vicerit hostes  
Bellatrix, quantasve sibi submiserit urbes  
Consilioque manuque, fremens dum bella tonaret  
Undique, & effusis Mars impius iret habenis.  
Hæc fuit HARLEADUM, fuit hæc tum cognita virtus.  
Nec semel hoc nomen trepidæ audivêre Pyrenes,  
Et Tagus, & Tyberis, Scaldisque, celerque Visurgis,  
Victrices tremuère & amantes prælia dextras.



Ipse metu turbavit aquas & fugit in æquor  
 Eridanus, Thamesisque imo caput abdidit alveo,  
 Quamquam bella inter pelago confusus, & armis  
 Pulcer JOANNES cadit omnibus obrutus undis.  
 Hæc dicens vultus subitò mutata decoros  
 Gallia, non lacrymis medio in sermone pepercit.  
 Illam ut conspexi lacrymantem, & multa gementem;  
 Quæ, dixi, tibi Diva comes, quæ causa doloris?  
 Hôc, inquit, ferro, hæc dextrâ defensa fuisssem.  
 Ibat jam pelago victor, spoliisque superbum  
 Prædatorem Asiæ spe saltem oriente fugabat;  
 Sed juvenem eripuit vix pubescentibus annis  
 Invida vis fatorum, & inexorable lethum.  
 Illum triste sonans eoa per æquora Triton  
 Ingemuit conchâ, & Nymphæ flevêre cadentem.  
 Hic mihi grandiloquo celebrandus SANCIUS ore,  
 SANCIUS Henrici, titubant dum Gallica Regna,  
 Et fidus comes, & sceptrorum maximus ultor.  
 Ille quidem Caroli vidit post funera Regis  
 Omnibus exceptum populis, Regnoque potitum  
 Henricum; sed rem patriam turbante tumultu,  
 Proh facinus! scissi studia in contraria Patres  
 Hactenus indefensam urbem & Regalia tecta  
 Milite dant circum, Regemque à sedibus arcent.



Non tulit indignans vir martius, intus agi rem  
 Dum videt, & præceps summa in discrimina regnum,  
 Tendit ad Helvetios, & multo prodigus auro  
 Bellator, refides populos, venaliaque arma  
 Conducit, Regum ereptos ulturus honores.  
 Sub duce belligero Rhætorum exercitus ibat  
 Secum fata ferens, hæc dum mihi prompta parantur  
 Auxilia, occumbit perfoffus pectora ferro  
 Infelix Henricus, & urbe domestica bella  
 Exarsere magis; subiti rediere tumultus,  
 Præliaque, indomitos nullo cohibente furores.  
 SANCIUS ad portas iustis metuendus in armis  
 Bellat, eo bellante omnis stetit impetus, omnis  
 Compressus furor, & scelerati infania ferri.

Adderet his majora, sed inter tympana & enses  
 Gallia CHRISTOPHORUM agnovit, vultuque manuq;  
 Et crudum ardenti spirantem pectore bellum.  
 Admirata virum blanda sic voce salutat.  
 Hic natus bellis, custos virtutis avitæ,  
 Gentis & HARLÆÆ magnum decus; arma petentem  
 Non illum movere preces, non purpura patris.  
 Consciis ipse sui HARLÆOS interrogat omnes,  
 Ingentesque animos atavorum & grandia facta.  
 Otia pacis ament alii, mediasque per urbes



Incedant tyriis in vestibus; ast ego, dixit,  
 Castra sequor; quò bella vocant, bella horrida,  
 eundum est.  
 Vixisset! meritis pro talibus inclytus Heros,  
 Colla per, atque humeros præclarum infigne tulisset,  
 Auratæ torquis jamjam decorandus honore.  
 Ast alii turmatim aderant, supremaque tantùm  
 Ora ostentantes; stabat galeata caterva,  
 Qualis erat dum torva tuens raperetur in hostes.  
 Undique spirabat duri Mavortis imago,  
 Per cœlum fama antevolans, velocior euris  
 Implebat toto ore tubam, HARLÆOSQUE sonabat.  
 Ibat ponè sequens Victoria, iterque morata  
 Spargebat virides nullo discrimine lauros.  
 Innumeras bellantum acies ut Gallia vidit;  
 O mihi si, dixit, turbam hanc memorare liceret!  
 Monstraré LODOVICUM equitem sub torquibus aureis  
 Regali insignem vittâ, ingentemque PHILIPPUM,  
 Quem sex lustra vident regnorum in fœdera missum,  
 Vos Byzantinæ, Regum pallatia, turre,   
 Testor, & Eoæ gentes, teque impie rector,  
 Obstupuistis enim Francorum jura tuentem.  
 Adjicerem CORTENIACUM, qui talia cernens  
 Pro laude Herois tanta, sibi fœdere natam



Junxit, & æterno sponsam dignatus amore est;  
 Magnanimumque ducem antiquis è Regibus ortum,  
 Et CESIOS omnes, CANVALLONESQUE superbos,  
 SANCIADASQUE equites unà de stirpe referrem.

Et BREVALLE mihi, non illaudatus abires,  
 Cujus ferrea glans jaculata è turribus altis  
 In caput insiliit, Latios dum tendis in hostes  
 Bellator, pulcramque petis per vulnera mortem.

Per vos, dicam equidem, fortissima pectora bellis;  
 Hoc nutans stetit imperium; quòd munere pacis  
 Jam fruar, & vigeat legum quòd sancta potestas,  
 HARLEADUM est: totam cœptis me debeo vestris.

Et dubitamus adhuc post tot monumenta virorum,  
 Post tot avos, proavosque, & mille heroica facta  
 Unde tot emineant HARLÆI in pectore dotes?

Plura loqui vetuit Themis indignata, meosque  
 Ambitiosa quid hîc memoras, ô Gallia? dixit.  
 Jacta castra, ducesque tuos, pugnataque bella;  
 Non equidem invideo, tua sint hæc præmia laudes  
 Bellantum; quid enim nostros tibi sumis honores?

Hæc dicens oculos in me conversa tenebat  
 Jamdudum: Tibi multa, inquit, monstranda supersunt.  
 Sunt etiam BELLE'VRIADÆ, mea gloria duris  
 Temporibus, patriæque patres, legumque ministri.



Sese sponte quibus lætata est subdere & ipsa  
 Majestas soliorum & Regum invicta potestas.  
 Nec minus acceptos referas heroibus illis  
 Quos versas grandes animos, HARLÆE; tuarum  
 Illa quidem numero in tanto non ultima laudum est.  
 Mens, fateor, perculsa stetit gravitate virorum  
 Tantorum; me me undique & undique turba vocabat.  
 Observabam avidus præclaræ exordia gentis,  
 Stemmataque & trabeas, fascēs, fellasque curules,  
 Hanc ego dum tacitus perlustro ex ordine turbam  
 Admirans, accensa Themis duro increpat ore  
 Cur vates picturâ animum nunc pascis inani?  
 POMPONII gens tota, patrumque immensa propago,  
 Salvete illustres animæ, salvete verendi  
 Custodes populorum, hæc vobis debita cura est.  
 Dum vos aspicio, vestros dum consulo vultus,  
 Ecce redit vetus illa & grandis imago Catonum,  
 Qui, dum vita fuit, Romano pectore leges,  
 Jus patriæ antiquum, libertatemque fovebant.  
 Sed mihi præ reliquis major quæ fulget imago?  
 Unam atavi aspiciunt omnes, infraque supraque,  
 Ceu vaga quæ clarum circumstant sidera solem,  
 Obvertunt rutilos alieno lumine vultus.  
 Hic vir hic est, date ferta Deæ, date munera Reges,



Qui molem regnorum humero non impare portat ;  
 Promissus Franco & jamdudum debitus orbi.

Pacifer orator , rerum , armorumque minister

POMPONIVS largos fundendi sanguinis amnes,

Et jurata odia , & Regum compescuit iras.

Illum Sarmaticæ sub iniquo fidere gentes ,

Rhoetique , Helvetiique , & crudi martis Iberi

Obstupuere , modum pacis legesque ferentem.

Hinc meruit legum supra fastigia tolli

Arbiter , & tractare manu Regale sigillum.

Ille patris famam meritis ingentibus æquat ,

POMPONII pars magna , & nostri gloria coetûs.

Illum ego privatis referantem oracula tectis

Vidi , & perculsum famæ melioris amore ,

Hortantem non degeneres ad grandia natos.

Sæpe suos memorabat Avos , memorabat avitas

Virtutes , præclara domûs monumenta paternæ ,

Adderet ut natis animos , imitabile Patris

Nempe sui exemplum prudens ponebat , & inter

Propositos patres , sese & sua facta tacebat

Et magno genitore , & magna prole superbus.

Nec procul hinc par Imperio , par Regibus ipsis

SILLERIVS , summa pro majestate sedebat ,

Cujus consiliis res Francæ & jura vigeant



Inconcussa; audax facinus sub vindice tanto  
 Pro quæstu illicito venales figere leges.  
 Hic quoties Aulas penetrans & limina Regum  
 Restitit orator : quàm vellet sanguine fuso  
 Posse fidem signare, suis jam victima votis !  
 Certabat patriæ invigilans, in utrumque paratus,  
 Aut leges fervare, aut certæ occumbere morti.

Ventum erat ad feros generosa hac stirpe Nepotes :  
 POMPONIUM vidi intrepidum, gentisque togatæ  
 Præsidiumque, decusque, & inexpugnabile robur.

At Themis, hos tollens oculos quibus astra feremat,  
 Visa mihi solito major, seu me major imago  
 Tot procerum, mentem addiderant seu pōdera rerum.  
 Tandem pulcre audax sic Regni arcana retexit

Vix bona Pax Gallis malè-tuta ostenderat ora,  
 Nec dum compositi, belli armorumque tumultus:  
 Ære cavo increpitans Discordia, fæderis expers  
 Spargebat causas odiorum, irasque movebat.  
 Sæpe renarrabat veterum memor illa malorum  
 Et spretum Regem, & spretam cum Rege Parentem:  
 Sed frustra; numero procerum selectus ab omni  
 POMPONIUS, rerum implicitas evolvit habenas  
 Propositi securus, & implacabile monstrum  
 Seditionis opus premit, inceptosque labores

MOLÆI,



MOLÆI, majore animo, majoribus orsis  
 Absolvit, non belligeris Heroibus impar.  
 Audite hæc, memoranda cano, non fractus ab Aula,  
 Muneribusque, minisque, suo sed munere fultus  
 Ibat in adversos confidentissimus hostes,  
 Blandâ majestate ferox. Jam disce Senator,  
 Quid valeat legum non contemnenda potestas.  
 Hic tandem moriens, manifesto numine plenus  
 HARLÆUM, legum ultorem & spem gentis avitæ,  
 Hæredemque domûs fracta inter verba vocavit.

Haud Libitina tamen totum abstulit; aspice juxta  
 Ingentem BELLEVRÆUM, neque nomine tantûm,  
 Quippe animis fratrem, ingentis solatia casûs,  
 Quem si fata virum! fraterna exempla secutus,  
 Regis amor, populique pater, Themidisque fuisset.  
 Nam licet egregiæ dotes, sit copia rerum,  
 Sint Tituli insignes, sit & olli splendor avorum;  
 Non fastu tamen ille tumet, sed ubique modestus  
 Fortunam indocilem regit & virtute coerces.  
 Quid memorê ut scelere immanes tremefecerit Anglos  
 Orator, cum barbara gens, audaxque Senatus  
 Conjurata sui meditatur funera Regis;  
 Ut supplex, placidusque, minis mox asper acerbis,  
 Conatus frænare animos in sceptrâ rebelles?



Quid plura? immensum æquavit per singula nomen:  
 Et dubitamus adhuc, quo fonte accepit ACHILLES  
 Humanâ majorem animam, quam totus olympus,  
 Quam tot avi, proavique, ad publica commoda natam  
 Infudère? Venit cognato à sanguine virtus:

Hinc mentis vigor, hinc rebus solertia in arctis,  
 Et pietas, & prisca fides, rectique, bonique,  
 Propositive tenax, & inexsuperabile pectus.  
 Qualis ubi in vasto Ligeris jam grandior alveo,  
 Quò plus progreditur, patrioque à fonte recedit,  
 Plus surgit longum per iter, panditque fluentes  
 Divitias undarum, & campo exceptus aperto  
 Undique collectos sinuoso flumine rivos,  
 Jamque suos, rotat exultans, spoliisque superbit,  
 Donec præcipiti prorumpat in æquora cursu.

Nec te præteream, HARLÆÆ spes altera gentis,  
 Magnanime ô juvenis: te propter, acerba Dearum  
 Lis oritur, te nam studiis æqualibus omnes  
 Ultoremque suum, defensoreque reposcunt.

Sed me jam repetunt genialis fœdera lecti:  
 Urbs plausu infremuit magno, faustosque hymenæos  
 Vulgavit cita fama, futuri conscia partûs.  
 Parce, LAMONIADE, quem nuper scenore multo  
 Optasti generum, quem votis omnibus Aula,



Quem Rex ipse tibi speratâ prole dicavit,  
 Et meritis tecum, tecum & certabit honore.  
 Tu populos legum imperio frænare memento :  
 Proteget HARLÆUS patriæ sibi credita jura,  
 Et rerum ambages, & difficiles labyrinthos,  
 Nodosque, anfractusque, & vincula cæca resolvet.  
 Depositisque procul fugient mendacia larvis.  
 Quòd si triste caput lethalibus efferat umbris  
 Pernicies regnorum, atris Discordia vittis;  
 Mox aderit scelerum vindex HARLÆUS, & hostes  
 Conteret, & priscos legum instaurabit honores.  
 Sic Themis : & toto HARLÆI se pectore miscet,  
     Hæc BELLE'VRÆO Vates de rure canebam,  
 Tempore quo LODOIX, repetens dotalia jura  
 Fulminat ad Scaldim bello, domitasque per urbes  
 Se dominum probat, & fastus contundit Iberos,  
 Jam meditans nova bella, novosq; ex hoste triumphos.



